



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1566 usque ad annum 1572

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1772**

**VD18 90118634**

§. 50. Alberti Brandenburgici, Prussiæ Ducis obitus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67213](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67213)

Sæcul. XVI.  
A.C. 1568.

ominus eorum partibus quamplurimi accedebant, inter ipsos etiam Episcopos, & Nobiles, qui hoc artificio Ecclesiasticorum bona sibi vendicare nitebantur, quinimo ipse etiam populus, qui semper insana aviditate novitates amplectitur, in Pontificis odium hisce Sæctatoribus favebat, nec minus ipsis patrocinium suum impendebat Huntingtoniæ Comes Cardinalis Poli Nepos tam illustris prosapiæ indignissimus. Ceterum Puritani omnes liturgias, ne quidem excepta ipsa oratione Dominica rejiciunt, diem vero Dominicam tanta Religione a Christianis, quam Sabbatum a Judæis observari volunt, omnemque traditionem condemnant. Præter hanc aliæ majoris momenti mutationes, ac variationes circa Religionem in Germania hoc anno non contigere.

§. L.

*Alberti Brandenburgici, Prussiæ Ducis obitus.*

Die vigesima Martii hoc anno Albertus Brandenburgicus, qui ex summo Ordinis Teutonici Magistro Prussiæ Dux creabatur, violata fide, qua Imperio obstrictus erat, tandem infelicem animam exhalabat, qui Prussiam ea lege obtinuit, ut Dantiscum, Thorunium, Marioburgum, & Elbinga Polonis relin-

Th. l. 40.  
p. 532.



Sæcul. XVI  
A. C. 1568.

linquerentur, reliquas vero urbes ipse  
tanquam Polonico regno obnoxias be-  
neficiario jure possideret. Postea inito  
connubio Augustanam confessionem am-  
plexus Regiomontii celebre Collegium  
erexit, suisque redditibus locupletavit.  
quamvis vero ibidem propter Osiandam  
sectam quidam postea tumultus fuissent  
fuscitati, nihilominus represso errore  
huic collegio pax reddita est. Demum  
ex culpa Ministrorum, quibus Alber-  
tus gravi senio pressus nimium defere-  
bat, sicut in religione, ita & in civili  
regimine omnia erant perturbata, huic  
tamen malo tam sua auctoritate, quam  
congruo remedio prospexit Sigismun-  
dus Augustus Poloniæ Rex, qui quos-  
dam ex præcipuis tumultuum Auctori-  
bus morte, alios autem exilio plesti-  
jussit. Denique Albertus plusquam  
octogenarius Tapiani e vivis excessit,  
postquam Prussiæ per quinquaginta an-  
nos imperaverat, atque exemplo ad-  
modum raro Anna Maria Brunsvicen-  
sis ejus uxor eodem, quo ipse Maritus,  
die obiit. Is suarum ditionum hære-  
dem nuncupabat Albertum Fridericum  
suum Filium nonnisi quindecim anno-  
rum juvenem, qui in Lublinsibus comi-  
tiis sui juris esse declaratus, & solitis, us-  
demque ritibus, quibus ejus Pater, ipse  
quoque Prussiæ Dux proclamatus est.

S. L.